



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

19. In Principis &c. Ad Normam Concilii Tridentini reducit omnia
Regularium privilegia circa administrationem Sacramentorum, & speciatim
Pœnitentiæ: anno 1564.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

vel percipiendo, ut per alios nomine suo, etiam per simulas illorum locationes, & fictas de receptis quitantias, ac donationes, & remissiones percipi finendo, graviter exceperunt Cardinalium metam, potius ex immoderata erga suos indulgentia, quam aliquo preceptorum nostrorum spreto processisse facile reputamus. Idcirco omnes, & singulas Ecclesias, etiam Metropolitanas, & alias Cathedralas, ac Monasteria, etiam Consistorialia, Prioratus, Præposituras, Præpositatus, Dignitates, etiam majores, & principales, etiam Conventuales, Personarum, Administrationes & Officia, cæteraque Beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura, secularia, & quorumvis Ordinum, regularia, etiam de jure Patronatus, etiam Laicorum, etiam nobilitium & illustrium, etiam ex fundatione & dotatione existentia, per ejusdem Romanæ Ecclesiæ, etiam Episcopos, Cardinales, & quoscumque alios, etiam Patriarchas, Archiepiscopos, ac etiam ejusdem Camere Clericos in titulum, commendam, vel administrationem, aut alias in hujusmodi confidentiam jure prohibitam, cujusvis personæ (ut præfertur) contemplatione, vel iacuitu, quovis modo recepta, illorum liberam collationem & dispositionem Nobis, & Sedi Apostolicæ, harum serie reservantes, ipso jure à die receptionis eorumdem, vacavisse, & vacare, ac fructuum & pensionum reservationes, ac facultates transferendi, & collationes Beneficiorum, concessionis, eis (ut præmittitur) factas, ac regressus, sive accessus, & ingressus concessos hujusmodi cessasse, & cessare, ac extinctos esse, & eosdem Cardinales, seu quosvis alios, à prima die receptionis Beneficiorum hujusmodi citra, fructus, redditus, & proventus earumdem Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, & aliorum Beneficiorum, ac pensiones prædictas indebitè percipere, suosque facere non potuisse, neque debuisse, sed illos omnes, & singulos ad Cameram eamdem devolutos fuisse, & esse, illique deberi, ac ipsos Cardinales, & alios, ad quorum manus quomodolibet pervenerunt, & eorum hæredes, ad integram illorum restitutionem in utroque foro teneri, & ad id opportunis juris remediis compelli debere, auctoritate Apostolica, tenore præsentium decernimus, & declaramus; Et insuper universis, & singulis, tam ejusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, etiam Episcopis, quam Prælatibus, & Clericis, & aliis prædictis, præsentibus, & futuris, ne deinceps ullo unquam tempore, aliquas Ecclesias, Monasteria, Dignitates, vel alia Beneficia, etiam de dicto jure Patronatus (ut præfertur) existentia, aut fructus, vel pensiones, aut regressus, vel accessus in confidentiam prædictam, aut ad effectum reservationis hujusmodi, sibi postmodum à cedentibus procurandatum recipere præsumant, Cardinalibus videlicet, & aliis Prælatibus hujusmodi, in virtute Sanctæ obedientiæ, sub interdicti ingressus Ecclesiæ, reliquis verò sub majoris excommunicationis latæ Sententiæ poena, per contrahentes eo ipso incurrenda, à qua, nisi à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant, districtius inhibemus. Ac quascumque collationes, provisiones, præfectiones, commendas, reservationes, facultates, etiam transferendi, ac regrediendi, sive accedendi, & ingrediendi, ac alias dispositiones de Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, & aliis Beneficiis, eorumque fructibus, & Beneficiorum collationibus per Nos & alios Romanos Pontifices Successores nostros, etiam motu proprio, seu consistorialiter, aut etiam per Ordinarios, & alios inferiores collatores, etiam ad Patronorum eorumdem præsentationem, & alias quomodolibet cum interventu confidentiæ hujusmodi, expressæ sive occultæ, ac de jure præsumptæ, & alias contra præmissa pro tempore factas nullas, & invalidas, nulliusque roboris vel momenti fore, neque cuiquam suffragari, sed Ecclesias, Monasteria, Dignitates, ac alia Beneficia hujusmo-

di, ipso jure vacare, ac nostræ & Sedis Apostolicæ dispositioni reservata, fructusque, & pensiones Camere Apostolicæ applicatos, ut præfertur, esse, & censei, sicque in præmissis omnibus, & singulis, per quoscumque Judices, & Commissarios, etiam ipsius Ecclesiæ Romanæ Cardinales, sublata eis quavis aliter interpretandi, & judicandi facultate, etiam per præsumptiones, & conjecturas legitimas, & eorum arbitrio (cum alias Confidentias hujusmodi in lucem etui, & probari non posse constet) procedendo, judicari, & definiti debere. Ac quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum & inane similiter decernimus. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, ac aliis Constitutionibus Apostolicis, nec non Collegii præfati, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quòd interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et ne quisquam, ullo unquam tempore præsentium ignorantiam prætereundè possit, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ipsæ præsentis litteræ ad Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe valvas, per aliquem ex Curforibus nostris, illarum copiâ ibi affixâ, & dimissâ, & etiam in Cancellaria Apostolica de more publicentur, ac in ejusdem Cancellariæ quinterno, ad majorem partium illas in judicio producere volentium commoditatem, describantur.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reservationis, declarationis, inhibitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, XVII. Kal. Novemb. Pontificatus nostri, anno 5. Vifa de Curia. M. de Enrico.

Cæ. Glorierius. H. Cymyn.

Anno à Nativitate Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Indictione septima, die verò quarta Mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Pii, divinâ providentiâ Papæ quarti, anno quinto, suprascriptæ Litteræ Apostolicæ publicatæ, & affixæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, dimissis ibidem in suprascriptis locis supra scriptarum litterarum copiis affixis, ut moris est, per Nos Julium Parinum, & Bernardinum Andrentium, prælibati Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores.

Antonius Clerici Magister Curf.

Ad Normam Concilii Tridentini reducit omnia Regularium privilegia circa administrationem Sacramentorum, & speciatim Pœnitentiæ: anno 1564.

PIUS IV. EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

XIX.
Ex Mémoires du Clergé tom. 1. pag. 964.

IN Principis Apostolorum Sede, meritis licet imparibus, divina dispositione constituti, nihil neque universali Ecclesie, curae & sollicitudini nostrae commissae, salubrius, neque injuncto Nobis Apostolicae servitutis officio decentius praestare possumus, quam quod providentiae nostrae ministerio Oecumenicum Concilium Tridentinum, sicut nostris potissimum auspiciis, summaque Sanctorum Patrum concordia per Dei misericordiam feliciter absolutum fuit, ita per universos qui Christiana pietate censentur, ubique suscipiatur, & remotis quibuslibet obstaculis ab omnibus aequaliter observetur.

§. 1. Cum itaque in eodem Concilio quamplura salubria, & ad universalem morum reformationem valde utilia decreta atque statuta, maturo praesentium ipsorum examine praecedente, sine edita, quibus multa atque diversa privilegia, exemptiones, immunitates, dispensationes, facultates, conservatoriae, indulta, & ut vocant, Confessionalia, & Mare Magnum, & aliae gratiae, quae variis, tam Cathedralibus, etiam Metropolitanis, quam Collegiatis Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, & aliis Religiosis, etiam Fratrum mendicantium domibus, & Ordinibus, nec non Sancti Spiritus in Saxia, Sancti Joannis Lateranensis, ac Incurabilium de urbe, Sancti Antonii Viennensis, & Sancti Bernardi Juren. aliisque Hospitalibus, Militiis, eorumque Capitulis, & Conventibus, ac Universitatibus, etiam Studiorum generalium Collegiis, tam Saecularibus, quam Ecclesiasticis, Confraternitatibus, Societatibus, & tam Principis Apostolorum de Urbe, quam aliis Fabricis, S. Cruciatæ, aliisque piis locis, & operibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Praelatis, Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, Praepositis, & aliis Ecclesiasticis, tam Saecularibus, quam diversorum Ordinum & Militiarum Regularibus, ac etiam Laicis cujuscumque dignitatis, & status, ac gradus & excellentiae, ac etiam Ducali, Regia, & Imperiali dignitate fulgentibus, utriusque sexus personis, nec non aliquibus Notariis, & etiam de latere Legatis, atque Nuntiis, tam perpetuo quam ad tempus per Romanos Pontifices Praedecessores nostros, ac Nos & Sedem Apostolicam, ejusque Legatos haftenus, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, seu etiam Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum Principum contemplatione, & intuitu, etiam de Fratrum consilio diversimodè, variisque temporibus, in genere vel specie, ex quavis etiam honesta causa concessa, & etiam pluries confirmata & innovata fuerint, in plerisque contrariantur.

§. 2. Nos, quibus in primis cordi est, tam sancta, & Ecclesiae Dei saluberrima decreta suos, ut par est, effectus ubique consequi, & ab omnibus obedienter observari: privilegiorum, exemptionum, immunitatum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, confessionalium, Maris Magni, & aliarum gratiarum praedictarum, ac quarumcumque Apostolicarum & aliarum litterarum desuper confectarum, processuumque decretorum, & aliorum inde secutorum tenores, ac si de verbo ad verbum infererentur, praesentibus pro sufficienter expressis, & plenè insertis habentes, motu proprio & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, quod eadem omnia & singula privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, conservatoriae, indulta, confessionalia, Mare Magnum, & aliae gratiae in his omnibus & singulis, in quibus illa statutis, & Decretis Concilii hujusmodi contrariantur, ipso jure revocata, cassata, & annullata, ac ad ipsius Concilii terminos, atque limites reducta sint, & esse censentur, nec quidquam adversus ipsa decreta, & statuta, quominus ubique, & apud omnes observentur, in aliquo suffragari posse, sed ea perinde haberi & reputari debere, ac si nunquam ema-

nassent: auctoritate Apostolica tenore praesentium declaramus, ac etiam statuimus, & ordinamus.

§. 3. Decernentes nihilominus, omnia, & singula, quae vigore privilegiorum, exemptionum, immunitatum, & dispensationum, facultatum, conservatoriarum, indultorum, confessionalium, & aliarum quarumcumque gratiarum hujusmodi, post id tempus quo Concilium obligare coepit, facta & gesta quomodolibet fuerunt, & in posterum fient, in iis, in quibus dicti Concilii decretis adversantur, nulla, invalida, & irrita esse, & ceteri, ac nemini etiam quantumlibet, ut praesertur, qualificato tam in foro, quod ajunt fori, quam conscientiae, suffragari posse & debere.

§. 4. Et ita per quoscunque locorum Ordinarios, aliosque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi facultate in utroque foro judicari, & definiti debere, ac quicquid secus à quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum, & inane decernimus.

§. 5. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae declarationis, statuti ordinationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae, Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, 13. Cal. Martii, Pontificatus nostri, anno sexto.

Anno à Nativitate Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Indictione sexta, die vero vigesima quarta mensis Februarii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Pii, divina Providentia Papae IV. Anno ejus sexto retroscriptae litterae Apostolicae affixae & publicatae fuerunt in acie Campi Florae, & valvis Cancellariae Apostolicae per Nos Nicolaum de Matthaeis, & Camillum Cherubinum, S. D. N. Papae Cursores.

Philibertus Chapuis, Mag. Curf.

Regulares, alique sectantes Ritus Ecclesiae Graecae, Ordinariis subiciantur in his quae Divinum Cultum spectant, nec non administrationem Sacramentorum, aliaque Spiritualia: an. 1564.

PIUS PAPA QUARTUS.

Ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex, praecipuus aequitatis & religionis assertor, facultates, & gratias ab Apostolica Sede concessas, ex quibus tempore procedente animarum pericula, & inter Catholicos scandala provenire animadvertit, pro sui pastoralis officii debito maturè revocare consuevit.

§. 1. Sane nonnulli locorum Ordinarii, nuper ad audientiam nostram referri curarunt, quod in quampluribus Regni Siciliae citra, & ultra Pharrum, & aliis Christiani nominis civitatibus, & locis, magnam Graecorum, tam religiosorum & saecularium Clericorum, quam laicorum multitudinem reperitur, qui Ecclesiae Graecae mores & ritus observantes, illosque suos proprios ejusdem nationis Praelatos habere, ac illis, non autem locorum Ordinariis subesse, sed immunitatem, aliorumque privilegiorum sibi per felicis recordationis Leonem X. Paulum III. Julium etiam III. & forsan alios Romanos Pontifices Praedecessores nostros, & di-

etiam

XX.
Ex Mem.
du Clerge
de France
Tom. I.
pag. 966.